



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 388. An & qualiter ex permutatione nascatur actio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Quaest. 388. An & qualiter ex permutatione nascatur actio?

Resp. Quam primum permutatio unius datione perfecta, oritur ex dicta accipientis obligatione actio, non quidem specialis, sed praescriptis verbis ex permutatione, quae est bonae fidei, competens ei ejusque heredibus, qui causa permutationis rem suam dedit, contra accipientem ejusque heredes, ut & ipse rem promissam det, & sic ex parte quoque sua contractum impleat, vel praestet omne interesse, pro ut mavult, qui rem suam dedit. §. 28. *Inst. de act. l. 2. §. 6. & fin. C. h. t. Lauterb. §. 24. & 26.* Nulla tamen, neque realis, neque personalis actio competit illi contra tertium possessorem rei datae, dum, qui eam accepit; eandem alienavit, ejusque dominium, quod à dante permutationis gratia accepit, in alterum transulit. *L. 4. C. h. t. & Arg. l. fin. ff. de contrab. empt. Faber in Cod. h. t. def. 9. Carpz. p. 2. const. 33. def. 24.* quos citat & sequitur Lauterb. *loc. cit. §. 22.* Dicitur autem actio praescriptis verbis; quia fundamentum hujus actionis certo & speciali nomine demonstrari nequit, sed necesse est, ut in libello negotium, ex quo descendit, praescriptis verbis circumscriptur, & cum suis circumstantiis probe declaratur; quod etsi quandoque etiam fiat in aliis actionibus, non tamen sit ex necessitate, uti hic fit. Lauterb. *ad tit. de P. V. §. 20.* Porro competit quoque haec actio P. V. dum re ex utraque parte tradita, unus eorum ultra dimidium laesus est, ad hoc, ut vel res ad aequalitatem reducatur, vel contractus rescindatur. *Arg. l. 2. C. de rescind. vendit. Lauterb. §. 31. remittens ad Arumæ. ad cit. l. 2. disp. 2. th. 3. Harprech. ad §. fin. Inst. de empt. 147. & seq. & alios.* Est enim permutatio valde vicina emptioni & venditioni, & actio P. V. ex permutatione aequè ac actio empta & vendi, est bonae fidei, quae competit ad omne id, quod contrahentes sibi invicem ex jure vel moribus praestare tenentur juxta *l. 13. §. 20. ff. de adili edito.* etiam si ad ipsius contractus rescissionem agendum sit. *Arg. l. 11. §. 3. & §. ff. de act. empt. & vendit. ita ferè Lauterb. l. c.* Contractu verò permutationis ex una tantum parte completo, si ille, qui dedit, laesus est, tueri se potest conditione causà datà, causàs non secutà; si autem laesus est, qui accepit, potest ipse ex contractu conventus ad illum implendum querelam enormis laesionis opponere. *Arg. l. 156. §. 1. ff. de reg. jur. Lauterb. §. 32. remittens ad Carpz. p. 2. c. 34. def. 2. num. 2.*

Quaest. 389. Cujus periculo, facta traditione rei, tam res danda, quam jam data, existat penes accipientem?

1. **R**esp. ad primum: Post rem datam rei vicissim dandae, & nondum datae, sed adhuc existentis penes accipientem periculum & damnum pertinet ad dantem, ita ut, si ea citra dolum vel culpam levem (hanc enim praestare tenetur juxta *l. 5. §. 2. ff. commodati. §. 3. Inst. de empt. & vendit. junctà l. 2. C. h. t.*) accipientis pereat. V. g. servus promissus seu dandus pro equo dato moriatur, damnum ferre debeat, qui equum dedit, ita ut is ad implendum contractum, aut interesse praestandum agere non possit Lauterb. *h. t. §. 28.* quam primum enim res permutationis gratia ab uno est data, incipit esse periculo dantis, utpote creditoris, cui debetur, etsi dominium ejus necdum in ipsum trans-

latum. *L. 5. §. 1. ff. de P. V.* perque ejus casualem interitum accipiens tanquam debitor ab intere, aut alio simili praestando liberetur. Lauterb. *l. c.* cum Christina. *vol. 1. decis. 107. n. 5.* His non obstante, quod res pereat domino, qualis rei accepta est recipiens illam; cum id fallat in eo, qui debitor est istius rei in specie; nisi tamen & is sit in mora culpabili, aut pactum de casu à debitore praestando praecesserit; aut etiam à recipiente res tantum aliqua in genere fuerit promissa; tunc enim debitor interitu rei non liberatur. *Arg. l. 23. ff. de V. O. & l. 11. C. si certum petatur.* ita ferè Lauterb. *cit. §. 28.* Sed neque in eo casu pereunte re danda, is, qui rem suam dedit, ab accipiente eam repetere potest, ut cum probabilior, dissentientibus aliis, tenet Lauterb. §. 19. adductà pro se *l. 5. & l. penult. de condit. caus. dat. caus. non secut.* & ex ea ratione, quod res debita in specie sit periculo creditoris non tantum, ut illa perempta, debitor ad illam vel ejus aestimationem conveniri non possit, ut Franzk. *ad tit. de condit. caus. dat. caus. non secut. n. 11. & ibid. Hahn. n. 2. Bachov. ad Treutl. vol. 1. d. 22. th. 2. lit. d.* Lauterb. *l. c.* sed etiam ut res & causa pro impleta habeatur, uti propterea, qui dedit, nec amplius poenitere, neque ex capite poenitentiae rem datam condicere possit. *L. penult. & §. 3. Inst. de empt. & vendit.* Contrarium tamen tenet Muller. *h. t. th. 21.* dum ait juxta *l. ult. de condit. caus. dat. caus. non secut.* quod, ubi perit, quod dandum est, repeti possit, quod datum est, non obstante, quod res danda, quae perit, erant periculo dantis; eò quod erat dantis in ordine ad hunc effectum, ut debitor liberetur à praestatione illius, ejusque aestimatione, ab eo peti non possit; non verò ad illum etiam effectum, ut res data repeti non possit. Cui si objicias, nihil perire hac ratione danti, respondet satis ei perire, dum aestimationem rei, quae perit, petere non possit, casu quo ea fuerit quid duplo majus, quam quod dedit; pro quod citat Donell. *tr. de P. V. c. 7. Brunem. ad Wesenbe. Strauch &c.*

2. **R**esp. ad secundum: Periculum rei, quam quis ex causa permutationis recepit, ad ipsum accipientem tanquam illius dominum pertinet, ita ut, si ea apud ipsum perierit, ipse nihilominus actione P. V. ad contractum implendum compelli possit. *Arg. l. 9. C. de pignor. act. Lauterb. §. 30.*

Quaest. 390. Quinam permutare possunt?

Resp. Permutare possunt omnes, qui naturam vel jure specialiter non prohibentur; in materia siquidem communiter non prohibita concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur, ut Gl. communiter recepta *c. inter corporalia. de translat. Episc. v. non invenitur.* à permutatione autem, uti & ab omni alio contractu naturam excluduntur omnes usu rationis, carentes: jure verò in genere, quotquot alienare prohibentur; cum permutatio sit alienationis species; & in specie, qui emere & vendere prohibentur; cum permutatio vicem emptionis & venditionis subeat juxta *l. 2. C. h. t.* tales sunt pupilli & minores, destituti quò ad hoc autoritate tutorum & curatorum; uti & tutores ipsi & curatores respectu bonorum immobilium pupillorum & minorum sine interposito decreto Judicis juxta *l. 4. C. de prad. & alien. reb. min.*

Quaest.